

translation. episcop. Tum etiam quia vota pœnalia sunt magis perfecta, quam vota sub alia conditione, v. g. recuperandæ sanitatis, evadendi naufragium, obtinendi illud officium, et hujusmodi; adeoque si vota pœnalia etiam post impletam conditionem sunt dispensabilia ab episcopo, et confessariis regularibus, a fortiori post impletam conditionem erunt ut supra dispensabilia alia vota conditionalia, quia cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in cap. *Cui licet* 53, De regul. juris, in 6; et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur: » textu expresso in cap. *Ex parte* 27, De decimis. Quod autem vota pœnalia sint magis perfecta quam alia dicta vota conditionalia, clare patet, quia ordinarie fiunt principaliter amore alicujus certæ virtutis et odio alicujus certi vitii, sicque jam principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, ut patet in eo, qui vovet perpetuam castitatem, religionem approbatam, etc., si se inebriaverit, si vitiose luserit, si furatus fuerit, et hujusmodi, juxta dicta supra num. 84. E contra autem dicta alia vota conditionata ordinarie non fiunt principaliter, nec amore alicujus certæ virtutis, nec odio alicujus certi vitii, sicque nec principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, sed amore consequendi aliquid bonum temporale, verb. grat. sanitatem, officium aliquid, vel beneficium, etc., vel evadendi aliquid temporale malum, ut naufragium, tempestatem, hoc, vel illud periculum; sicque valde imperfecte, et consequenter vota pœnalia sunt magis perfecta quam dicta alia vota conditionalia, adeoque, etc. *Vide* dict. verb. *Jubilæum*, art. 2, n. 41.

(89. Quinimo addit cum aliis Diana part. vi, tract. 8, resolut. 3; apud La Croix, *loc. cit.*, n. 545, etiamsi aliquid tale votum conditionatum post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo fore reservatum, quia confirmatio semper cadit super idem votum a principio conditionale, nisi nunc esset emissum independentem a primo voto. *Vide* dicta supra num. 17, et 18, et dict. verb. *Jubilæum*, art. 2, n. 41.

(90. Notanter autem supra num. 86, fuit conclusum, quod dicta vota non sunt reservata, « si sint proprie conditionata sub conditione de futuro accidentaria, non a natura, vel jure ipsis votis annexa; » quia sola illa vota conditionata non sunt reservata, quæ facta sunt sub conditione mere voluntarie adjecta, mereque de futuro accidentaria, ut sunt vota supra dict., n. 85, assignata. Vota autem conditionata conditione generatim, naturaliterve, aut ex dispositione juris ipsis votis annexa, non obstante tali conditione, adhuc remanent reservata, nec possunt a confessariis privilegiatis dispensari. Sic votum castitatis perpetuæ ab impubere editum, quamvis sit editum cum hac tacita, et naturaliter annexa conditione: *si pater consenserit*, non potest a confessariis privilegiatis dispensari, nec commutari, quamvis possit illud irritare suus pa-

ter, et in ejus defectu ipsius tutor, juxta dicta supra a num. 16. Item vota solemnia, et substantialia religionis sunt reservata, nec possunt a superioribus et confessariis privilegiatis dispensari, quamvis habeant a jure annexam tacitam conditionem, qua Papa possit illa dissolvere. Sic recte Gobat., tom. II, *De voto*, n. 225 et 226.

(91. Non sunt reservata dicta quinque vota quoad circumstantias, vel qualitates aliquas accidentales a vovente voto reservato adjectas; unde si quis voverit pedester peregrinari Compostellam, mendicando peregrinari Romam, seu voverit strictiorem religionem, potest episcopus, et confessarius regularis ex justa causa dispensare, ut equester, vel non mendicando peregrinetur, et ut aliam religionem etiam laxiorem ingrediatur: Herincx, disput. 4, *De voto*, quæst. 5; La Croix, lib. III, part. 1, n. 550, cum Azorio, Sanchez, Castropal., Lessio, Illung., Bellegamb., et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, n. 67; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 34, num. 36, et ipso teste alii communiter. Et ratio est, quia sola substantia voti censetur reservata, argum. citat. capit. *Odia* 15, De regul. jur. in 6.

(92. Circa votum castitatis est specialiter advertendum, quod votum absolutum omnimodæ castitatis emissum ab uno conjuge post consummatum matrimonium absque alterius licentia, non est reservatum, quia non est perfectæ et omnimodæ castitatis, cum adhuc teneatur reddere debitum. *Communis*. (93. Si autem sit dictum votum emissum ab uno conjuge cum consensu approbativo alterius conjugis renuntiantis juri suo, aut ab utroque conjuge mutuo consensu per modum contractus, et conventionis irrevocabilis, est reservatum Summo Pontifici, cum sit votum continentie perpetuæ, ac integræ, et omnimodæ: unde non potest ab episcopo dispensari, nisi in aliquo casu gravis et urgentis necessitatis. *Communis*.

(94. Votum servandi perpetuam virginitatem non est reservatum, si vovens cognovit differentiam inter virginitatem, et castitatem, et solum dixit: « Voveo virginitatem perpetuam. » Tunc enim est tantum votum castitatis partiale, quia censetur vovisse tantum se abstinere a primo actu, quo perditur virginitas, et non ab omni actu, quo violari potest castitas: castitas enim violari potest tactibus, et osculis impudicis, ac omni morosa complacentia absque eo quod violetur virginalis, ac corporalis integritas. Si autem vovens non cognovit dictam differentiam, ut communiter non agnoscunt juvenes, et puellæ, et dixit absolute: « Voveo virginitatem perpetuam, » est reservatum. Tunc enim est votum castitatis totale: cum pro eadem re in tali casu sumatur virginitas, et castitas; Moya, tom. II, distinct. 1, quæst. 2, num. 7; La Croix, *loc. cit.*, num. 361, et in hoc sensu alii passim recte consulentes in similibus casibus esse diligenter explorandam intentionem, et cognitionem voventium. (95. Si vero dubitet

vovens, an emiserit votum partiale, aut totale castitatis, tunc non erit votum reservatum, per dicta supra num. 82, *De voto dubio* quoad ejus valorem, et num. 83, *De voto alternativo*, cum in tali casu sit tantum certitudo pro voto partiali, aut totali: sicque tale votum disjunctivum relinquat voventi libertatem eligendi, quod volet, per regulam 70. De regul. juris in 6, ibi adducta.

(96. Cum quis, vel quæ voto continentie jam emisso nulla obtenta dispensatione, culpabiliter contrahit matrimonium, tale votum est dispensabile per episcopum, ac confessarios regulares solum quoad petendum debitum, ac remanet firmum quoad alia, sicque talis vovens tenetur adhuc ad non se polluendum, non fornicandum, et ad servandam castitatem, altero conjuge mortuo. *Communis*.

(97. Cum quis, vel quæ ante contractum matrimonium perpetuam castitatem, vel religionem perfecte vovit, tale votum est reservatum jure ordinario Summo Pontifici. *Communis*. (98. Episcopus autem potest in simili voto dispensare ratione gravis et urgentis necessitatis, et impossibilis recursus ad Papam, et cui periculum est in mora: Sanchez, lib. VIII *Moral.*, d. 10, n. 23; Navarr., in *Manual.*, c. 12, num. 76; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 8, n. 16; Sporer, *loc. cit.*, num. 74; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 37, testans de communissima aliorum, arg. cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, dist. 1, cap. *Omnes*, De feriis; cap. *Consulvisti* 3, De celebrat. missar., cap. *Concilium* 2, De observat. jejunior., ubi expresse dicitur: « Cum non subjaceat legi necessitas, » can. *Sicut* 15, De consecrat., dist. 1, ibi: « Necessitas non habet legem, » cap. *Quod non est* 3, De regul. jur., ibi: « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » Et ratio est, quia non est præsumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit privative quoad ordinarios sibi reservare cum dispendio boni communis animarum potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam. Hoc enim non esset consonum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, et peccata, non autem ut eisdem irretiantur, et esset contra suavem, et providam gubernationem Ecclesiæ, quæ potestatem suam gerere debet non in destructionem, sed in ædificationem animarum, juxta illud Apost. *II Cor.* x, 8; XIII, 10.

(99. Gravis autem, et urgens, ac sufficiens necessitas sic dispensandi in voto castitatis est, si ex dilatione matrimonii usque ad responsum Pontificis ex parte voventis, seu inter contracturos urgeat periculum incontinentie, scandali, vel alterius gravis mali; si matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsæ, aut eorum familiæ dedecore; si puella deflorata, prolesque nascenda infamanda sit, præsertim si deflorator sit morti jam proximus, et nisi puellam defloratam se gravidam ducat, nascenda sit

proles illegitima, et orituræ timeantur graves discordiæ inter cognatos, et his similia, de quibus late doctores, et præcipue Sanchez, lib. II *De matrimonio*, disp. 40.

(100. Posse in simili gravi, et urgenti necessitate sic dispensare etiam confessarios regulares tenent Herincx, d. 4, *De voto*, q. 6, num. 69, cum Bassæo, et aliis ibi citatis, Crousers, in c. 7 *Regul. S. Francisci*, lect. 29; Alviset, *De privileg. regular.*, sect. 3, c. 5, § 3; Chassaing, *De privileg. regular.*, tract. 1, c. 5, propos. 2, cum Casarubio, Lessio, Corduba, et aliis ibi citatis, Leander, et alii apud Moyam tom. II, d. 1, quæst. 1, a num. 17; Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, tit. 34, num. 40 et seq., ubi id probat hoc sequenti non spernendo fundamento: Juxta communem etiam adversariorum possunt confessarii mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensare potest episcopus; atqui hic potest jure ordinario urgente necessitate dispensare in votis alias reservatis, ergo, etc. Majorem concedunt adversarii, patetque clare ex privilegiis. Minor probatur, quia episcopus urgente necessitate, vel dispensat ratione officii, vel ideo, quod in tali casu non censetur reservatum, vel vi universalis consuetudinis, per quam constat episcopum urgente necessitate posse dispensare. Quocumque tandem modo dispenset, jure ordinario dispensat, et quidem si primo, et secundo modo, non est dubium; si tertio modo, vi consuetudinis nempe, inde patet quia consuetudo dat jurisdictionem ordinariam, prout pluribus demonstrat Sanchez, lib. VIII, *De matrimon.* disp. 1, et diximus in lib. I *Decret.*, tit. 29 *De offic. et potest. judicis delegati*, num. 11, argum. l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. *De jurisd. omnium*.

Confirmatur: Jurisdictio, et potestas, qua episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo ordinaria.

Probatur antecedens: Jurisdictio delegata est, quæ nec ex lege, nec ratione officii, nec ex consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit, uti cum communi dictum est cit. l. I *Decret.*, tit. 26, *De offic. et potestat. judic. de legat.*, num. 12. Atqui nullibi in toto jure hæc specialis commissio episcopis tanquam delegatis facta ostendi potest: ergo cum nihilominus dispensent, jurisdictione, seu jure ordinario dispensare censendi sunt. Hactenus ille, et quidem vere probabiliter.

(101. At vero contrarium docet teste La Croix, lib. III, part. 1, num. 563, communissima cum Suarez, Sanchez, Barbosa, Henriquez, Layman, Rodriguez, Fagundez, Miranda, Lezana, Castrop., Tamburin., lib. III, cap. 16, § 4, num. 49; Burgaber, centur. 3, cas. 32; Moya, *loc. cit.*, num. 22; Sporer, *loc. cit.*, num. 55, et 74; Henu., tom. 1, tract. 4, in *Decalog.*, disp. 1, qu. 3, *De voto*, art. 3, *Petes* 4°, quia omnes doctores antiqui concedentes episcopis ex præsumpta licentia Papæ hanc potestatem extraordinariam, negant reliquis confessariis, et Men-

dicantibus pro tempore jubilæi. Hinc in bullis jubilæi, et privilegiis Mendicantium expresse solent excipi vota illa; privilegia enim regularium Mendicantium, quod possint dispensare in votis, in quibus possunt episcopi, intelligi debent de iis solis votis, in quibus dispensare possunt episcopi jure ordinario, ideoque proprie episcopales sunt; non autem de iis, qui per se Papales sunt, et tantum per accidens ratione urgentis necessitatis, et moralis impotentiae adeundi Pontificem, ad episcopum tanquam ordinarium post Pontificem pastorem devolvuntur. Sicque talis potestas dispensandi fundatur in jurisdictione ordinaria, quam habent episcopi, et non Mendicantes. \* Atque hæc quidem sententia tenenda est, opposita rejecta, præsertim cum de confessariorum Mendicantium in votis sæcularium dispensandis auctoritate non constet\*.

(102. Episcopus in simili necessitatis casu dispensare potest, quamvis legatus Pontificius in provincia sit; Suarez, lib. vi, cap. 26, num. 10; Sanchez, lib. viii, *De matrimon.*, disp. 9, num. 25, et lib. iv *Moral.*, cap. 40, num. 38; Layman, lib. iv, tract. 4, cap. 8, num. 17; Sporer, *loc. cit.*, num. 72, et alii contra Aragonium, Rodriguez, et alios. Et ratio est, quia legatus Papæ, quamvis a latere sit, ordinario jure non habet majorem dispensandi potestatem, quam episcopus, adeoque potest vovens in tali necessitatis casu pro obtinenda dispensatione in voto reservato adire libere, quem maluerit, episcopum nempe, vel legatum Apostolicum.

(103. Si autem legatus Apostolicus spectem commissionem, et facultatem habeat dispensandi in votis reservatis, vel lege Pontificia, aut absolventi a censuris Papæ reservatis, tunc dispensare in ipsis non potest episcopus. Et ratio est, quia episcopus in dictis casibus dispensare, aut absolvere potest solum ratione urgentis necessitatis, quæ ratio cessat, si adiri possit aliquis specialis præditus ad id facultate, cum cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, *De appellat.*; et cessante ratione, et causa legis, cesset ipsa lex, l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jurepatronat.* Ratio enim legis est anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnator.* Sic tenent Navarr., in *Manual.*, cap. 27, num. 90; Sanchez, cit. disp. 9, num. 45, et cit. cap. 40, num. 38; Lessius, lib. ii, cap. 40, dubit. 18, num. 106; Suarez, cit. cap. 26, num. 15; Layman, *loc. cit.*, num. 17, vers. *Posterior vero*; Sporer, *loco cit.*, num. 72, et alii contra Henriquez, Avilam, et alios.

(104. Votum sacros ordines suscipiendi non est reservatum, quia est tantum votum vovendi castitatem, et necdum castitatis, adeoque dispensari potest ab episcopo, et confessariis regularibus. Henriquez, Sa, Azor, Suarez, Less., Sanchez, Castropal., Diana, Illsung., Bellegamb., citati, et secuti a La Croix, *loc. cit.*, num. 552, et alii passim.

(105. Circa votum religionis est specialiter advertendum, quod ut sit reservatum, de-

bet esse absolutum, et perfectum religionis a Sede Apostolica approbatæ, adeoque votum religionis ab Ecclesia non approbatæ non est reservatum. *Communis.*

(106. Votum ingrediendi religionem S. Joannis Hierosolymitani est vere reservatum, quia ipsa est vera religio, in qua emittuntur tria vota solemnia paupertatis, castitatis perfectæ, et obedientiæ. *Communis.*

(107. Votum autem ingrediendi alias religiones militares, ut equitum S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, et hujusmodi, non est reservatum, sed potest dispensari, et commutari: et ratio est, quia de illis est dubium, an sint veræ religiones, et dd. equites emittunt votum castitatis imperfectæ, videlicet solum conjugalis. *Communis.*

(108. Votum ingrediendi religionem strictiorem non est reservatum quoad circumstantiam *strictioris*. Unde potest cum justa causa dispensari ab episcopo, vel confessariis regularibus, ut in aliam etiam laxiorem ingrediatur: *Communis*, per dicta supra num. 91.

(109. Tale autem votum nequit postea irritari a superiore regulari, quia religiosus quoad hoc subiacet soli Summo Pontifici, textu expresso in cap. *Licet* 15, *De regularibus*. *Vide supra* num. 13.

(110. Votum perseverandi in religione probabiliter non est reservatum, quia non est religionis in se, sed circumstantiæ, quæ non reservatur. Unde si qui sic vovit, experiatur in novitiatu illum statum non sibi convenire, poterit ejus votum dispensari, vel commutari. Sic La Croix, *loc. cit.*, n. 595, cum Sanchez, Fagundez, Mald., Diana, Trullench., Bellegamb., et Lessio. ibi citatis, et alii plures.

(111. Qui vovit ingredi religionem, si nequeat continentiam servare, nec detur recursus ad Papam, vel delegatum, et adsit periculum in mora, potest ratione hujus gravis, et urgentis causæ dispensari ab episcopo in voto ingrediendi religionem. Sic expresse La Croix, *loc. cit.*, n. 567, se referens ad n. 563, ubi testatur sic tenere Sanchez, Lessium, Garciam, Ledesm., Diana, Pasqualig., Silvestr., Navarr., Henriq., Valer., Sa, Suarez, Layman, Castropal., aliosque cum Cardena, in *Crisi*, d. 79, n. 17. *Vide supra* n. 98, et 99.

(112. Circa votum trium peregrinationum, nempe Hierosolymitanæ, Romanæ, et Compostellanæ, est specialiter advertendum, quod non sunt reservata, nisi emissa sint devotionis causa. Unde si edita sint ob alium finem, v. g. ad impetrandam absolutionem ab aliquo peccato, ad osculandos pedes Pontificis, et hujusmodi, dispensari possunt ab episcopo, et a confessariis regularibus. Si vero quando quis aliquam ex dictis peregrinationibus vovit, alium finem expresse non cogitavit, præsumendum est vovisse devotionis causa, adeoque esse reservatum: Felix Potestas, tom. 1, part. ii, n. 2007; La Croix, *loc. cit.*, n. 570, cum Tamburin., et Illsung ibi allegatis.

(113. Materia subrogata pro voto reservato potest ex justa, et rationabili causa dis-

pensari, vel commutari ab episcopo, et confessariis regularibus. Unde si Papa commutaverit, v. g., votum perpetuæ continentiæ in perpetuum jejunium, tunc perpetuum jejunium potest dispensari, vel commutari, cum reservatio prioris voti, utpote odiosa, non debeat extendi ad materiam subrogatam. Nec obstat, quod subrogatum sapiat naturam ejus, cujus loco subrogatur, cap. *Ecclesia* 3, *Ut lite pendente*, cum similibus, quia hoc valet solum in favorabilibus, et non in odiosis, et in hoc casu arg. cap. *Odia* 15, *De regul. juris* in 6. Sic communis theologorum recte tamen momentum, quod petens dispensationem, vel commutationem materiæ subrogatæ voto reservato, debeat explicare ipsum votum, ut dispensans, vel commutans gravitatem vinculi cognoscat, ne plus æquo temere de tali materia remittat.

(114. Quoad dispensationes votorum, episcopi et confessarii regulares in quibusdam conveniunt, et in quibusdam differunt. Conveniunt in hoc, quod utrique possunt vota dispensare, vel commutare etiam extra sacramentum confessionis, imo etiam cum absentibus; nullo enim jure horum facultas reperitur restricta ad solum forum sacramentale, ut recte notant Sanchez, lib. iv *Moral.*, cap. 43; Sporer, *loc. cit.*, n. 79; La Croix, lib. iii, part. ii, n. 507, cum Tamburin., et Bellegamb., ibi citatis, et alii. *Vide verb. JUBILÆUM*, art. 2, a n. 64, ad 67 (147). Differunt autem in hoc, quod episcopi possunt suam potestatem dispensandi, vel commutandi vota aliis delegare, quia in ipsis hæc potestas est ordinaria; confessarii regulares vero id non possunt, quia sunt delegati ex privilegio; et delegatus non potest subdelegare, nisi in delegatione exprimitur: cap. *Quoniam* 43, § *Cæterum*, *De officio delegati*. Item differunt in hoc, quod episcopi dispensare possunt in quinque votis, cum urget necessitas, ac magna causa, et impossibilis est recursus ad Papam, et periculum est in mora. Confessarii regulares autem id non possunt juxta communio-rem sententiam traditam supra num. 101. Econtra tamen confessarii regulares suam dispensandi in votis facultatem exercere possunt circa omnes fideles ad ipsos undecunque venientes, quia ipsi agunt nomine Summi Pontificis totum orbem pro sua diœcesi habentis. Episcopi autem non possunt se extendere extra suos diœcesanos, quia agunt per suam jurisdictionem in sola diœcesi restrictam.

(115. Commutatio voti (quæ est quartus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est translatio obligationis a materia voti prius facti in aliam materiam priori subrogandam: est in re communis, argum. cap. *De peregrinationis votis* 1, cap. *Scripturæ* 4, cap. *Magna* 7, cap. *Quod super* 8, cap. *Ex multa* 9, *De voto*, et voti redemptione.

(116. Talis voti commutatio fieri potest, vel in opus melius, vel minus bonum: *Com-*

*munis*, ac certa, et clare patet ex infra dicendis.

(117. Commutatio voti in opus manente, et evidenter melius, potest fieri etiam ab ipso vovente proprio arbitrio, et auctoritate absque ulla causa. Sic jam communis, et hodie receptissima doctorum, testibus Reiffenstuel, cit. lib. iii *Decretal.*, tit. 34, n. 44; Sporer, *loc. cit.*, n. 81; Sanchez, lib. iv *Moral.*, cap. 49, n. 4; Suarez, lib. ix, *De voto*, cap. 18; Less., lib. iii cap. 40, n. 101, contra varios graves antiquos doctores volentes ad id requiri superioris auctoritatem. Et nostra conclusio desumitur clare ex cap. *Pervenit* 3, *De jurejurando*, ubi expresse sic habetur: « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat; » et ex cap. *Scripturæ* 4, *De voto*, et voti redemptione; ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis observantiam commutare; » ubi, ut clare patet, nulla requiritur auctoritas superioris, nec ulla justa causa, unde sufficit propria voventis auctoritas, ac arbitrium. Excipiuntur autem quinque supradicta vota Papæ reservata, quæ sine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari non possunt in religiosam professionem, arg. cit. cap. *Scripturæ* 4, *De voto*, et voti redemptione. Item excipiuntur vota in favorem tertii emissa, et jam acceptata, ut infra patebit.

(118. Commutatio voti in opus æquale, seu æqualiter bonum non potest fieri propria voventis auctoritate, et arbitrio, sed debet fieri auctoritate Papæ, episcopi, vel alterius jurisdictionem habentis. Sic communior, et sine dubio probabilior doctorum sententia cum Sanchez, *loco cit.*, n. 12; Sporer, *loc. cit.*, n. 82; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 45, et alii passim, arg. cap. *De peregrinationis votis* 1, *De voto*, et voti redemptione. Eo enim ipso, quod hæc materia sit voto promissa, habet honestatem objectivam virtutis religionis, jamque censetur melior, quam altera libera secundum se tantum æqualis, adeoque nequit commutari in opus æquale, nisi ab habente jurisdictionem, cum hic non adsit ratio interpretationis divinæ voluntatis, quod velit illud bonum æquale acceptare, sicuti adest in commutatione voti in melius. Unde si occurrat causa ita commutandi unum votum in aliud, eam cognoscere spectat ad superiorem. Contraria tamen opinio defenditur tanquam vere probabilis a Diana part. iii, tract. 11, resolut. 48, cum pluribus ibi citatis a Tamburin., lib. iv *Decalog.*, cap. 17, § 5, n. 14; Sporer, *loco cit.*, n. 83, et a multis aliis apud Castropal., d. 2, p. 15, num. 4. \* Probabilis tamen censeri reipsa non potest\*.

(119. Commutatio voti in opus minus bonum nullimode potest fieri propria voventis auctoritate, et arbitrio, sed necessario fieri debet per habentem jurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, vel delegatam.

(147) Confer tamen verb. JUBILÆUM, art. 1, n. 65, et not. ad art. 2, n. 60.

*Communis.* Et ratio est clara, quia commutatio voti in opus notabiliter minus bonum non potest fieri, nisi per habentem potestatem etiam dispensandi, quia tunc remittitur partialis obligatio voti, quæ utique est partialis dispensatio, adeoque, etc.

(120. Quicumque possunt jure ordinario, vel delegato in votis dispensare, possunt etiam illa commutare; at non e contra: sic jam fere communis, et recepta sententia doctorum cum Suarez lib. vii, *De voto*, cap. 12, n. 10; Layman, *loco cit.*, n. 20; Sporer, *loco cit.*, n. 85; Henno, *loco cit.*, qu. 3, § 4, concl. 2; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 46, et aliis modernis passim contra Navarr., Silvest., Azorium, Sanchez, et alios negantes posse commutare vota eos, qui in illis possunt dispensare solo jure delegato, uti sunt confessarii approbati ordinum Mendicantium, et in eorum privilegiis communicantium. Et ratio nostræ conclusionis, quod nempe etiam dicti confessarii regulares possint illa vota commutare, clara est, quia, ut expresse habetur in c. *Ex parte 27*, De decimis: « Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur; » et ut expresse habetur in c. *Cui licet 53*, De reg. jur. in 6: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus: » atqui potens dispensare, potest totam voti obligationem tollere, quod est plus et majus, ergo a fortiori poterit illam voti obligationem in aliam commutare, quod est minus; qui enim potest remittere totum, potest et partem, adeoque confessarii regulares possunt commutare proportionaliter illa vota, in quibus possunt dispensare.

(121. Secunda autem pars conclusionis, nempe quod nequeant e contra in votis dispensare quicumque illa possunt commutare, de se patet, et admittitur communiter, quia cui conceditur minus, non conceditur majus, ut a sensu contrario colligitur ex juribus adductis. Minus autem est votum commutare, quam in voto dispensare, ut expresse dicit S. Thomas 2-2, q. 88, art. 10, et liquet ex dictis. Unde in bulla *Cruciatæ* datur facultas vota commutandi, ut notant bullæ expositores, non tamen dispensandi. \* Verum utrum dispensare in votis confessarii isti regulares possint, antea spectare oportet\*.

(122. Habentes facultatem commutandi vota possunt illa commutare, etiamsi essent jurata. Vide verb. *JUBILEUM*, art. 2, n. 35.

(123. Item commutare possunt etiam vota in favorem tertii facta, et nondum acceptata. Vide *ibid.*, n. 36.

(124. Non possunt tamen commutare vota in favorem tertii facta, et jam acceptata. Vide *ibid.*, num. 37, et verb. *JURAMENTUM*, art. 3, n. 33.

(125. Dantur autem aliqui casus, in quibus possunt commutari, imo et relaxari a Papa, et interdum ab episcopis, aliisque prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus vota in favorem tertii facta, et jam acceptata, et signanter cum bonum commune id exigit, quia bonum commune

prævalet bono particulari, seu privato per vulgaria jura in cap. *Bonæ memoriæ 3*, De postulatione prælat., cap. *Scias*, caus. 7, quæst. 1, l. *Actione 63*, § 5, ff. *Pro socio*, novella 39, cap. 1, vers. *Ea enim*, cum similibus. Vide verb. *JURAMENTUM*, art. 3, n. 34.

(126. Confessarii privilegiati, et regulares possunt commutare votum de non petenda commutatione, aut dispensatione votorum. Vide dict. verb. *JUBILEUM*, art. 2, n. 39.

(127. Item commutare possunt etiam vota castitatis, religionis, ac trium peregrinationum, Hierosolymitanæ scilicet, Romanæ, ac Compostellanæ, quando non sunt vota proprie dicta, omnino perfecta, omnino certa, omnino determinata, omnino absoluta, et quando sunt conditionata, et penultima. Vide *supra*, n. 80 ad 91, dicta de votorum dispensatione, et discurre proportionaliter de eorum commutatione, et Vide etiam verb. *JUBILEUM*, art. 2, a n. 40 ad 49, et discurre hic pariformiter.

(128. Votorum commutatio fieri potest etiam extra confessionem; imo etiam cum absentibus. Vide *supra* n. 114, et dict. verb. *JUBILEUM*, art. 2, n. 65. \* Simul tamen confer verb. *JUBILEUM*, art. 1, n. 75, et not. ad art. 2, num. 60.

(129. An autem commutatio votorum fieri possit etiam a confessario, qui non audit confessionem penitentis, et cui penitens nullatenus vult confiteri? Vide d. verb. *JUBILEUM*, art. 2, num. 56 et 67.

(130. Ad commutationem voti in aliud opus manifeste melius, nulla requiritur causa, sed sufficit sola voluntas voventis; unde commutare votum in manifeste melius validum, licitum, et meritorium est. *Communis.*

(131. Ad commutationem voti in aliud opus non melius, sed solum æquale, vel quasi æquale, requiritur aliqua causa; sed sufficit modica: unde commutare votum in aliud opus æquale, vel quasi æquale, et non notabiliter minus absque omni causa est quidem validum, sed venialiter illicitum, quia est abusus potestatis, quamvis in re levi. *Communis.*

#### NOTA ROMANI THEOLOGI.

Facultas dispensandi, et commutandi vota in ædificationem, non in destructionem prælatis Ecclesiæ concessa est. At qui sine ulla causa, vel ex levi non modica, vota commutet, vel dissolvat, hac potestate in ædificationem non utitur. Rursus: ubi causa nulla est, dubitari jure meritoque potest, num adsit in prælato dispensandi, et commutandi potestas; agitur enim de facta Deo promissione, quæ acceptata præsumitur, cujus obligationis solutio, non aliud videtur, quam declaratio, quod in data circumstantia cesset obligatio, aut sese homo obligare non voluerit.

#### RESPONSIO AUCTORIS.

An talis commutatio vergat in destructionem, et non in ædificationem, judicet, om-

nibus attentis, prudens, et eruditus lector; sicuti, an ubi nulla est causa sic commutandi, non solum sit illicitum venialiter, sed dubitari jure meritoque possit, num adsit in prælato dispensandi et sic commutandi facultas? Et recolat quæ ibi trado ego, et infra sub n. 133, sic subdens: Pro praxi observanda in faciendi votorum commutatione, non potest tradi una, et certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id quod statuit Innocentius III, in c. *Magnæ devotionis 7*, De voto, § *Et quidem*, ibi: « Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem. » Legat etiam, expendatque testimonia PP. Antoine, et Cuniliati, quæ in *Addit.* ad similem Auctoris responsionem supra attulimus.

(132. Ad commutationem voti in aliud opus notabiliter minus, requiritur necessario causa gravis, ut est imperfecta deliberatio voventis, difficultas exsequendi, damnum spirituale, vel corporale, majus bonum speratum, et hujusmodi; unde commutare votum in aliud opus notabiliter minus absque justa gravi causa, nedum est graviter, seu mortaliter illicitum, cum sit abusus potestatis in re gravi, ut concedunt omnes, sed probabilior est etiam invalidum, quia taliter commutans excedit suam potestatem, cum illam non habeat, nisi ut commutet in æquale; vel si in minus, ratione potestatis dispensandi, non nisi ex justa gravi causa, juxta dicta de dispensatione supra n. 59. Sic communior, et probabilior doctorum sententia cum Suarez, Navar., et Azor., Castrop., Illsung., La Croix, *loc. cit.*, n. 526, et ipso teste multi alii, Henno, *loc. cit.*, aliique plures, quamvis non desint graves doctores, uti Sanchez, Diana, Tambur., Bellegamb., Sporer, *loc. cit.*, num. 120, et alii vere probabiliter defendentes, quod talis commutatio in notabiliter minus sit quidem graviter illicita, sed tamen adhuc valida, et sit solum obligatio supplendi id, quod deest ad æqualitatem materiæ subrogatæ ad materiam voti, uti fit in contractibus permutationis, aut venditionis, qui non annullantur ex inæqualitate rei vel pretii, sed remanet solum onus supplendi, id quod ad æqualitatem deest. At quamvis sit vere probabilis (148) hæc sententia propter hanc paritatem, negatur tamen omnimoda paritas, quia commutatio inæqualis in dictis contractibus validatur a jure ad vitandas lites; non sic autem commutatio notabiliter inæqualis in votis validatur a Deo, cum ipse non det facultatem ministro excedendi notabiliter suam potestatem, quæ data est in ædificationem, et non in destructionem, ut expresse dicit Apostolus, *II Cor.* xvi, 8, et xiii, 10. Ubi autem deest conditio, sub qua datur commutandi potestas, deficit ipsa

(148) Cum paritas, qua opinio illa nititur, auctore fatente, claudicet, nescio quomodo opinionem ipsam

potestas, consequenter et ipsa commutatio, arg. leg. *Si quis sub conditione 8*, ff. *Si quis omissa causa*. Vide *supra*, n. 59.

(133. Pro praxi observanda in faciendi commutatione votorum, non potest tradi una, et certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id, quod statuit Innocentius III, in cap. *Magnæ devotionis 7*, De voto, § *Et quidem*, ibi: « Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem. »

(134. Generaliter loquendo, nisi circumstantiæ, et causæ aliud exigant, commutari debet votum reale in reale, personale in personale, mistum in mistum, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, ut sic, quantum fieri potest, magis servetur æquitas, et proportio, ut communiter tradunt doctores.

(135. Item generaliter loquendo in commutatione voti non est attendenda sola materia promissa, sed etiam finis promissionis, nec sola excellentia virtutis in materia subroganda, sed attendi debet id, quod magis ad Dei honorem, et cultum, ac ad voventis salutem conducit, diligenter consideratis omnibus circumstantiis personarum, locorum, et temporum. Unde si quis verbi gratia voverit flagellationem, seu disciplinam ad edomandam carnem spiritui rebellantem, melius commutabitur tale votum in jejunium, quam in orationem, cum magis conducatur ad finem intentum edomandæ carnis rebellis jejunium, quam oratio. Licet enim oratio sit excellentioris virtutis in se, non tamen in tali casu cum respectu ad finem et salutem voventis; cum jejunium respectu ipsius sit aptius ad edomandam rebellem ejus carnem, et sic ad retrahendum ipsum a Dei offensa. Et sic de similibus, ut notant communiter doctores recte addentes, quod consultius sit vota personalia commutare in sacramentorum frequentiam, cum sacramenta efficacius et facilius conducant ad salutem voventis, quam cætera opera.

(136. Specialiter, ac particulariter loquendo votum simplex, et absolutum, ac perfectum castitatis perpetuæ, vel religionis ingrediendæ, ad effectum matrimonii contrahendi, solet a Pontifice, aut ejus delegato commutari in perpetuum jejunium certi diei, v. g. feriæ sextæ, et vigiliæ S. fundatoris illius religionis cum competenti aliqua eleemosyna, ac alio bono opere singulis annis, aut in confessionem, et communionem bis in mense, sed sine dubio cum admista dispensatione, cum votum absolutum religionis et castitatis perpetuæ nunquam possit proprie commutari, ex quo aliud omne opus subrogandum minus sit, adeoque semper est admiscenda dispensatio, ut recte notant Sanchez, lib. iv *Moral.*, cap. 56, n. 41;

vere probabilem esse dicat. Mihi non modo vere probabilem non videtur, sed ne probabilis quidem.